



5.  
11.

DISSESTITIUNCULA  
 DE  
**OSTENTIS, QVÆ**  
 CIRCA NATIVITATEM  
 CHRISTI CONTIGISSE VUL-  
 GO TRADUNTUR,  
 QUÀ  
 MAGNIF. ET AMPLISSIMOS  
**D<sup>NN.</sup> INSPECTORES,**  
 VIROSQVE OMNIUM ORDINUM  
 SPECTATISSIMOS, HONORATISSIMOS,  
*Ad benevolè & frequenter auscultandum.*  
NOBILISSIMI ADOLESCENTIS  
**JOHANN. JOACHIMI von der Heydt /**  
 EQVITIS VARISCI  
**VALEDICTORIAM,**  
*Quâ par est, observantia humanitateqne*  
 INVITAT  
**M. JOH. FRIDERICUS Röber /**  
 ILLUSTR. RUTHENEI RECTOR.  
 ——————  
 GERÆ, STANNO MÜLLERIANO.

**M**Undis solius iudicio si standum ac decernendum sit, dubium non est, quin saluberrima Christi O.M. Nativitas solenni maximè ritu, manifestissimè & in omnium omnino conspectu, stupentibus cunctis,

*Quotcunq; Titan ortus & labens videt,  
fieri debuisset. Est enim πολλῆς amans Φατναῖς, &, quia se suamque vanitatem ignorat, & sentit altum & loquitur, atque adeò, quidquid sapit oletque humilitatem, fastidiosè à se spernit & insuper habet. Sed aliter sentit DEUS, qui, cùm summus cœli terræque gubernator sit, ad humilia tamen respicit cummaximè, iisque dici non potest, quantum delectetur. Atque idcirco non in regia, sed in stabulo, non in aulâ, sed in caulâ, non in opulentissimâ potentissimaque urbè, sed in minima Bethlehemo edi unicum uniceque dilectum Filium, editumque non Herodi regi, non Augusto Cæsari voluit, sed ovium custodibus, excubias noctu agentibus, annunciarci. Et nisi exercitus angelorum, cœlitus delapsus, splendidiorem fecisset natalem; ecquid fuisset magnopere, quod de tanti Principis nativitate testari potuisset? Egena erant omnia, vilia omnia & miseriâ quadam contemta. Unde nescio, an fidem mereantur omnium, qui nec pauca & eximia recensere & enarrare solent prodigia, quæ circa τὰ τοῦ σωτῆροῦ γενέθλια sacra accidisse credunt. Lubet ea nunc adferre in medium, &, quid de singulis statuendum sit, pro judicii tenuitate dispicere. Igitur si oculos supra nos elevamus in cœlum, & aërem, proh quot numero portenta hîc deprehendimus, si credere fas est, qui ea nobis obtrudunt? Offert se hîc nova stella, quem nonnulli cometam, fuisse tradunt. In cœlo stella insolita apparuit, si Plinio credimus, etiam Romæ visa: ait Orator quidam spiritu & facundiâ inclytus. (a) Et fatemur quidem, Scripturâ nos docente, historiâ præcipue Marthæi, (b) Magos venisse ab oriente, excitatos admiranda quadam & illustri maximè stellâ, quam in oriente viderant antè, duceinq; deinceps Hierosolymam, ac Bethlehemum tandem secuti erant. Fatemur & illam *insolitam* maximè fuisse, quippe quæ motum habebat inæqualem, præibat, stabat, apparebat, disparebat, interdiu, præter aliorum siderum modum, lucebat, in aëre constituta, domum, in quâ grande illud cœli depositum adserbatur, indicio certo demonstrabat. Unde planè peculiarem & singularem eandem cum nobilissimo Astronomorum Tychone Braheo (c) dicere non veremur. Sed num hæc stella Magorum, Plinio innotuerit, Romæ visa? De eo, beati*

Theo-

124  
DFG

Theologi ignoscunt manes, si non nihil subdubitemus. Neque enim vel  
huc de hac re apud mystam naturam extat: id quod ex facili constabit, si di-  
ligenter evolvatur, quidquid voluminum ejus in mundo est. Evidem-  
hac apud diligentissimum Scriptorem leguntur: (d) Cometes in uno totius  
orbis loco colitur in templo Romae, admodum faustus Divo Augusto iudicatus  
ab ipso: qui, incipiente eo, apparuit Iudis, quos faciebat Veneri Genitrici,  
non multò post obitum patris Cæsar is, in collegio ab eo instituto. Namque  
his verbis id gaudium prodidit: iis ipsis ludorum meorum diebus, sidus  
erinitum per septem dies in regione cœli, quæ sub septentrionibus est, conspe-  
ctum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus  
terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit, Cæsar is ani-  
mam inter Deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne  
simulacro capitis ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est. Hæc  
ille (Augustus) in publicum, interiore gaudio sibi illum natum, seq; in eo  
nasci interpretatus est; &, si verum fatemur, salutare id terris fuit. Idem  
confirmat & C. Svetonius Tranquillus, (e) cum L. Annæo Senecâ, (f) ut ex  
eodem haustile fonte sua, vero per quam fiat simile. (g) Verum enim ve-  
rò nec Magorum stella cometes fuit, & hæc diutius præcessit Christi nativi-  
tatem, quām ut ὁδηγὸς potuisset ad cunas ejusdem haberí. Etenim stella  
Augustæ initio Imperii Cæsar is conspecta fuit, Christus verò, ex senten-  
tiâ plurimorum, anno demum illius primo & quadragesimo, humanâ in-  
dutus carne, lucem vidit. (h) Adeoque minus commodè cometes hic Pli-  
nianus Christi Servatoris nostri natalem pronunciaisse creditur. (i) Ned dicam,  
egregiè falli in eo Plinium, qui sidus illud, salutare fuisse terris, dixit. Et-  
enim, ut scito veterum, (k) nunquam impunè cœlo spectati sunt Cometæ:  
ita tantum abest, ut felicitatem seculo portenderit ille Augusti cometa, ut  
quinq; bella civilia cum aliis horrendis post se traxerit, (l) Imperatori  
qui idem fortunata illa, sed infausta ac funesta terris. Sed num forte stella  
quædam insignis vel potius constellatio, circa nativitatem Christi apparu-  
it, unde colligi de partu Virgineo, eodemque sine contactu virili admi-  
rando maximè, potuit à siderum venatoribus? Neq; enim defuisse, qui-  
bus vanitas hæc immane quantum arrisit, Theologus quondam Noricus,  
egregiis in Remp. Christianam meritis præsignis, innuit. (m) Et sane Petrus  
de Alliaco, Archiepiscopus Cameracensis, ab Alberto Magno & Albu-  
fare seductus, figuram cœli de nativitate Christi erigere veritus non fuit,  
quam exhibet Sixt. Senensis; (nn) quem & Vossius (o) ideo putasse ait,  
præsciri potuisse Christi nativitatem ex genethliacis observationibus. Ve-  
rū ut temeritatem hominis de diluvio Noë, ex astris cognoscibili, meritò  
risit doctissimus Senensis: (p) ita eundem, &, qui patrocinium ejus sus-  
cepérat, quendam Saravallium, debit is excipit modis, &, quanta sit va-  
nitas

nitas Genesiologiæ & Genethliomantiæ, prolixè evincit (y) Insan⁹ fuit ho-  
mo, qui cum Alberto, quæ secundum providentiam in libro aeternitatis sunt  
scripta, in libro quoq; universitatis noluisse deesse Deum, perhibere non erubui-  
it. (s) Si enim, ut Thomas de Aquino (r) præclarè judicat, graviter peccat,  
qui significationibus & judiciis siderum utuntur in his, quæ à libera homi-  
num voluntate pendent: annon proximum sacrilegio crimen eum dica-  
mus admittere, qui, quæ vult ac decernit Deus pro liberrimo, nobisque  
citra revelationem ignoto arbitrio, Chaldaico dimetiri ac indagare radio  
audet?

Procul hinc, procul este profani!

Non est sub fato Jes⁹, nec ratione nativitatis sux, nec mortis; ut rectè convin-  
cit Mathematicos augustissimus præfulum, (u) ex illo Sospitatoris: potesta-  
tem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.  
Sed satis & super de stellis, quas sive prodigiosè, seu ex artis regulis indicâs-  
se nativitatem Christi, quibusdam tradere lubuit. Nunc oculos in se conver-  
tunt tres Soles, quos circa natalem Soteris optimi in cœlo apparuisse di-  
cunt. *Ips⁹ primo anno Triumviratus, Lepido & Planc⁹ Coss.* tres Soles esse  
visos, post Plinium, Dio testatur: ut quidem Cardinalitiā effulgens purpurā  
Baronius ait, (x) nec diffitetur, (y) hæc & alia, et si Augusti causā facta,  
Christi quoque adventus prælagia fuisse, ac futurorum bonorum prænun-  
cia. Ut igitur quid in recessu habeat hæc opinio, & Plinius consulendus e-  
rit & Dio Cassius. Ille igitur id factum esse, fatetur sub dictis Coss. sed &  
alia pareliorum exempla recitat; (z) hic verò eodem ævo Romæ Solem a-  
liquando diminutum & minimum visu, aliquando maximum, cum duobus  
aliis conspectum, asserit, sed & alia simul ostenta commemorat, quæ dissi-  
dium Octavii & Antonii præcesserint. (aa) Sed quid hæc ad Christum?  
annon diu satis hæc ejus nativitatem antecesserunt? (bb) & annon sapi-  
us meteora illius generis in cœlo apparebit? Ait quidem Jacobus de Voragine,  
per tres Soles istos, in unum corpus solare redactos, significatum fuisse,  
quod trini & unius Dei notitiatori orbi immineret, vel, quod natus ille fuerit,  
in quo tria, scil. anima, caro & deitas in unam personam convenerant. Sed  
ait homo ferrei oris, plumbi cordis, ut appellatur Ludovico Viveti, (cc)  
ait, inquam, satis piè explicat, sed nihil probat. Probat tamen Baronius,  
(dd) haud adeò novum mirumve esse, si, que in Augusto contigerunt, ea-  
dem Christi adventus præmonstrandi causā obvenisse, dicantur; quippe cum  
eundem Christum in Cyro Rege Persarum fuisse expressum, legatur. Sed are-  
na est sine calce; non sequitur: de Cyro legimus, quod subierit personam  
Christi; ideoque & axioma hoc ad Augustum pertinet. Nam ibi Sacra  
oracula pronunciant, (ee) hic planè tacent. Sed nondum cessant prodigia  
in cœlo; nam & circulum circa Solem conspicimus. Quā de re Baronius  
(gg) ex

122

(gg) ex Orosio (hh) ita: hoc commemorisse ideo par fuit, ut per omnia ven-  
turi Christi gratiâ preparatum Cæsar is imperium comprobetur. Nam cùm præ-  
mùm, Cajo Cæsare avunculo suo interfecto, ex Apollonia rediens, urbem ingre-  
deretur: horâ circiter tertiatâ, repente liquido ac puro sereno circumclus ad speciem  
cœlestis arcus orbem Solis ambiit: quasi unum eum ac potissimum in hoc mundo,  
solemq; clarissimum in orbe monstraret, cuius tempore venturus esset, qui ipsum  
Solem solius mundumq; 10. um & fecisset & regeret. Mutuo hæc summisse Orosi-  
um ex Svetonio (ii) conferenti utriusq; verba facillimè constat. Eadem quo-  
que Seneca (kk) Plinius (ll) & Dio (mm) de Augusto commemorant; quam-  
quam hic insuper addat, sequenti anno, Hirtio & Pansa Coss. visum Solem in-  
tra tres circulos effulgere, quorum unum corona spicarum ignita circumda-  
ret. Sed hæc omnia quotusquisq; non videt ad Augustum Cæsarem pertine-  
re? Et licet largiamur Orosio, Cæsar is Imperium sic eomprobatum fuisse; hoc  
tamen illis per omnia venturi Christi gratiâ preparatum, unde & quomodo  
probabitur? Ecquid n. regnum Christi ad Imperium Augusti? Nihil fœne-  
rari hoc lucis illi potuit: neq; Augusti tempora tot prodigiis notata divinitus  
fuisse propter Christum, cuiquam cordatiorum credibile videtur. Tandem,  
& coruscationibus noctem Solandi natalitiam lucidam fuisse redditam, Dæ-  
monologiæ autor Hispanus, Fr. Torreblanca Villalpandus tradit, sed sine  
auctore probato: (nn) quæ enim ex Lucæ Evangelio suavissimo adducit, ni-  
hil ad rem faciunt. Neq; v. intrepidè fidem habemus Damasceno & Cypria-  
no, (oo) qui noctem illam γενέθλιαν omni luce clariorem fuisse, aut Joh.  
Vasæo (pp) qui nocte illâ illuxisse universæ Hispaniæ nubem candidam tantæ  
claritatis atq; etiam calorū, ut instar Solis esset meridiani, scribunt. Hujus e-  
nim, quippe recentioris, autoritas non sufficit ad rei tantæ probationem: illi  
autem oratorio fortasse more, quod Patribus admodum solens, μεταΦο-  
ρμῶς locuti sunt. Sed è cœlo denique ad tellure nostram convertenda,  
est oculorum acies. Ecquid igitur hîc in brutis, in hominibus, in fontibus,  
alibi factum fuisse circa γενέθλια & Κωπη dicamus? Pleraq; omnia e-  
narrat Petrus Galatinus, (qq) quando infi: terra quoq; tunc mota fuit, non  
solum portentis, quæ eisdem fermè temporibus toto orbe facta sunt, bobus scil. lo-  
quentibus, serpentibus per aëra volantibus, pueris ex matrum uteris verba qua-  
dam proclamantibus, fœminisque in masculinum sexum mutatis, ac Romæ co-  
dem die, quo Christus ipse natus est, fonte olei è terrâ abundè emanante. Ad-  
dit Autor (rr) aureæ, quam invitis licet Gratiis, vocant, Legendæ, tunc idola  
Ægyptiorum corruisse, omnesq; Sodomitas in toto mundo extinctos fuisse: quo-  
rum illud ex Historia Scholastica, fide scil. dignissimo libro, hoc ex Hierony-  
mo, suo more, hoc est, frigidè satis, ostendit. Qui idem Bartholomæi compi-  
lationem adducit testem (vah quantæ auctoritatis ac fidei?) de vineis Engadi-

4  
quod protulerint eādem nocte balsamum, floruerint, fructum protulerint,  
& liquorem dederint. Tradunt quoque virginem in cœlo pulcherrimam,  
puerum tenentem in brachiis, ab Augusto visam, (rr) item templum Pacis  
nocte nascentis Christi, corruisse Romæ. (ss) Sed jam alibi ostensum fuit,  
quam vana sit utraque illa traditio & à veritate aliena. Ex omnibus ve-  
rò, quæ ex Galatino & aliis fuere adducta, nullum est, quod jactatur ma-  
gis, quam de oleo, è terrâ prorumpente, totumque per diem diffluentem.  
Rei veritatem, si quæ est, evincere, student ex Eutropio & Paulô Diacono.  
(tt) Sed in Eutropio genuino nihil hujus extat, fors autem in Hi-  
storia Miscellâ Pauli Diaconi; si ejus est, & non potius, quod Philippum  
Labbeum velle video, (uu) Jo. Diaconi, aut Landolfi Sagacis, aut alias,  
qui confusaneum istud opus ex Eutropio & Orosio, & Anastasio Bibl. con-  
farcinavit. Itaque Annalium conditor provocat (xx) ad Eusebii Chro-  
nicon & Orosium. Sed in Eusebio nihil occurrit, nec vola nec vestigi-  
um, ubi de nativitate Sospitatoris agit. Atque idcirco solus nobis restat  
Orosius, qui utique hæc habet, quando scribit: (yy) In diebus ipsius  
(Augusti) fons olei largissimus de tabernâ meritoria per totum diem fluxit. Quō  
signo quid evidenter, quām in diebus Cæsaris toto orbe regnantis, futura Chri-  
sti nativitas declarata est? Et quæ ibi sequuntur: nam quid omnia in pro-  
scenium afferre attinet? Meruit locus ille, (addit Baronius) (zz) nobis  
lissimâ memoriâ illustrari, Ecclesia nimirum amplissima, Dei genitricis titulo,  
à Callisto Pontifice, primâ omnium, quarum extet memoria, olim erectâ. An  
ex illa olei recordatione Ecclesia seu templum ortum sit; jam non disputo,  
cùm præcipue Dei genetrici sacrum fuerit, & non Filio potius, cuius no-  
men (Messias) oleo rectius expressum sit & ad memoriam revocatum:  
quod & Orosius innuit. (aaa) Id verò ad rem nostram facit, quod Pla-  
tina & ipse Pontificius scriptor, contradicat, (bbb) cùm ea tempestate, ob  
crebras persecutiones, occulta fuerint omnia, & facella potius abdita ex-  
titerint, quām publica tempora. Cui & Sabellicus ad stipulatur, (ccc) de  
facellis modicis, iisque ferè subterraneis illo ævo, & in occulto habitis ex-  
metu. Qui cum Cardinali transigant, per nos licet. Videant quoque  
Adversarii, quomodo & templum istud sibi constet, & quid de indulgen-  
tiis à Papa Sylvestro, qui iocum primus consecravit, ut est apud Petrum,  
Numagen. (ddd) ad XI. millia annorum videlicet in Capella, quæ dicitur  
Maria libera nos à pœnis inferni, concessis, habendum sit. Potest simul  
etiam hīc erroris sui admoneri Thomas Bzovius à Radero Jesuita, quia ex-  
stimavit, (eee) ante Christum natum nullum oleo fontem fluxisse. Nam  
contrarium ex Plutarcho, Strabone, aliis idem Raderus demonstret. (fff)  
Cæterum, ut, quid de totâ hac restituendum sit, in apricum se sistat, cum  
doctissimo Voëtio (ggg) non rejicimus quidem omnia, nefas tamen non  
arbi-

arbitramur esse, de his dubitare, præcipue cum fundamentis adeo  
lubricis & infirmis nitantur. Et quid opus est, frivolis istis crede-  
re, cum, ut ait de re in primis Scholaistica meritissimus Mich. Nean-  
der, (bbb) ex Scripturâ satis habeamus testimoniorum, quibus Christi  
in carnem adveniens est indicatus? Quocirca missis hisce, ad VA-  
LEDICTURUM denique properamus. Est is NOBILISSI-  
MUS ADOLESCENS, JOHANN. JOACHIMUS von der  
Heyd / EQVES VARISCUS. Quamdiu hic apud nos com-  
moratus est, per quadriennium nempe, & quod excurredit;  
tamdiu, ut omnes boni Discipuli numeros expleret, sedulò con-  
nitus fuit. Itaque, quod verè testamur, Deo pietatem, Musis in-  
dustriam, Præceptoribus observantiam, omnibus modestiam cum  
laude singulari probavit. In palestrâ maximè Oratoriâ cum pu-  
blicè, tūm & intra Muséi parietes frequentissimè à me exercitatus,  
ad elegantiam stili non infeliciter, per Dei gratiam, profecit. In  
reliquo studiorum studio eos quoque fecit progressus, ut, qui ad al-  
tiora dimittatur, non ineptus haberi queat. Hinc, quod præ-  
fiscine dictum fit, facilè auguramur, quin & devotè exoptamus,  
ut in celeberrimæ meritissimæque Gentis suæ decus non exiguum,  
aliquando evadat! Cras, si dederit Deus, sub ipsam pomeridianam II.  
*de requisitis boni Ducis bellici*, antè, quam valete nobis dic-  
cat, luculentâ oratione dissertabit, ut se non degenerasse ostendat  
à stirpe, VIRO nempe GENEROSO ET MAXIME STRE-  
NUO, DN. GEORGIO PETRO von der Heydt / TOPARCHA,  
dum vivebat, in Chemniȝ ET Mislarœuth / SERENISSIMI RE-  
GIS SVEONUM CHILIARCHA quondam LONGE FOR-  
TISSIMO, MERITISSIMO, HEROE AD DELITIAS US-  
QUE MAGNATIBUS AMATO, PARENTE SUO DESI-  
DERATISSIMO. Quod enim factis nondum per ætatem pot-  
est, id verbis exprimere consultum putat. Quare ut SVAVIS-  
SIMO MUSARUM PULLO, cum MAGNIFICI ET AM-  
PLISSIMI DNN. INSPECTORES, tūm & RELIQUI O-  
MNES, quibus Gymnasii salus cordi est, benevolam locare ope-  
ram velint, enixè rogitamus. Prosperos IPSI viales apprecabitur  
& fausta quævis alia NOBILISSIMUS ADOLESCENS Gottlob  
AUGUSTUS à Reibold / EQVES VARISCUS. P.P. Geræ d.III.

Jan. A.O.R. 1582. quem pacatum &  
felicem omni ex parte jubeat esse DEUS!

NOTU-

# NOTULARUM EVOLUTIO.

- (a) Homil. V. Academ. part. II. pag. 113. (b) cap. II, 1.  
z. & 9. (c) lib. I. progymnasm. Astronom. pag. 548. cit. Henr.  
Kippingo Institut. Phys. l. 3. c. 8. num. 23. (d) lib. 2. cap. 25. p.m.  
83. (e) in Vita ejus cap. 88. (f) lib. VII. Nat. quest. cap. 17.  
p.m. 503. (g) vid. Sim. Majolus dier. canic. colloq. I. pag. 12.  
(h) vid. Cbronicon. Cassiodori p. m. 684. operum ejus. (i) Da-  
lecb. annot. ad l. c. Plin. p. m. 83. (k) Claudianus ap. Camer.  
de Com. pag. 14. (l) Sveton. in Octav. Aug. cap. 9. & seqq. vid.  
Petr. Greg. Tholosan. Polit. lib. 21. cap. 1. p. 6. & alios, Dn. D. Job. O-  
leario in Mantice comet. laudatos cap. II. §. 25. (m) tom. I dispp.  
Philolog. dispp. XIV. pag. 432. (n) lib. VI. Biblioth. sanct. annot.  
IX. pag. 541. (o) de scient. Mathemat. cap. XXXV. §. 43. pag. 183.  
(p) lib. V. annot. LXXXI. pag. 446. (q) l. c. pag. 543. seqq.  
(s) vid. Alberti Speculum, cuius verba citat Sixtus. pag. 541. (t)  
in opusc. de judic. Astror. ap. Sixt. pag. 419. (u) tractat. 8. in  
Joban. cit. Bebelio Antiq. Evang. & Jud. artic. IV. sect 1. pag. 278.  
(x) in Apparat. num. XXVIII. (y) ib. num. XXVII. (z) lib.  
2. Histor. Nat. cap. XXXI. (aa) Histor. Rom. lib. XLVII. pag 353.  
ed. Leoncl. (bb) vid. de nativ. Dom. aurea legenda (cc) vid.  
Hotting. H.E. part. V. pag. 260. (dd) l. c. num. 27. (ee) Jes.  
XLV. 1. seqq. (gg) l. c. (hh) Histor. lib. 6. cap. 18. (ii) cap.  
95. in Octav. (kk) lib. 1. nat. quest. cap. 2. (ll) lib. 2. H.N. cap.  
28. (mm) Histor. Rom. l. 45. (nn) lib. 1. de Mag. div. cap. 5.  
§. 38. (oo) git. à Fac. Andr. Crisio de nocte cap. 1. pag. 13. (pp)  
in Cbron. Hisp. (qq) lib. IV. de arcan. cathol. verit. cap. 10. fol.  
**CXV.** (rr) l. c. (rr) Gervas. Tilberiensis de Reg. Rom. Gotb.  
pag. 15. 16. ed. Maderi. (ss) Petr. Damiani ap. Baron. in Annal.  
num. XI. fol 58. (tt) vid. Neandr. in Apocryphis pag. 412. (uu)  
part. alter. dissert. de Scriptor. Eccles. pag. 172. (xx) l. c. num.  
28. (yy) lib. 6. cap. 20. (zz) l.c. (aaa) l.c. (bbb) p. 24. vid. Dieter.  
in Brev. Pontif. pag. 46. (ccc) lib. 7. Enn. 61. pag. 342. eod. cit. pag.  
47. (ddd) lib. de relig. & indulg. Rom. vid. ejus excerpta ex cap.  
XV. apud. Hotting. H.E. part VII. pag. 291. (eee) tom. 2. c. 16. (fff)  
in Curt. VII, 10, 14. (ggg) tom. 2. dispp. select. pag. 932.  
(hhh) l.c. ex Apocr.

Th 780

ULB Halle  
002 500 698

3



5b.

KD 17

w. C.





